munere· ne impediretur triumphus· Simul illud disce mysterium·
spiritus opus hoc esse· divinum fuisse iudicium· ut temptandum se diabolo
Christus offerret· Dixit autem illi diabolus·

Si filius dei es· dic lapidi huic ut panis fiat. Tria praecipue
docemur tela diaboli· quibus ad vulnerandam mentem
hominis consuevit armari· gulae unum· aliud iactantiae
tertium ambitionis· Inde autem coepit unde iam vicit· ideo inde in
cipio in Christo vincere· unde in Adam victus sum· si tamen in Christo
imago patris· virtutis exemplum sit. Discamus ergo cavere gulam.
cavere luxuriam· quia telum est diaboli· Laqueus tenditur· cum men
sa regalis convivii praeparatur· quae constantiam saepe mentis inclinat.
Non solum enim cum audimus verba diaboli· sed etiam cum videmus eius
copias· laqueum vitare debemus. Vidisti ergo diaboli telum· su
me scutum fidei· loricam abstinentiae. Sed quid sibi vult talis ser
monis exorsus· si filius dei es· nisi quia cognoverat dei filium esse
venturum· sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat.
Aliud explorantis· aliud temptantis est· et deo se profitetur crede
re· et homini conatur illudere. Sed vide arma Christi· quibus tibi non sibi
vicit. Nam qui maiestate sua lapides in panem posse converti na
turae alterius transfusione monstravit· docet nihil te pro dia
boli arbitrio· nec declarandae virtutis contemplatione faci
endum. Simul in ipsa temptatione artificem diaboli disce ver
sutiam. Sic temptat ut exploret· sic explorat ut temptet.
E contra dominus sic fallit ut vincat· sic adhuc vincit ut fallat.
Nam si convertisset naturam· proderet creatorem. Mediae ergo respon
dit dicens· Scriptum est quia non in pane solo vivit homo· sed in omni
verbo dei· Vides quo genere utatur armorum· quod hominem ab
spiritalis nequitiae incursione defendat· adversus irritamen
ta gulae saeptum atque munitum. Non enim quasi deus utitur potestate·
quid enim mihi proderat· Sed quasi homo commune sibi arcessit auxi